

scorta adducebantur, vino epulisque obruebatur; neque ullum tempus sobrio relinquebatur. Is vsque eo vitae statum commutatum ferre non potuit, postquam in patriam rediit pater, (namque adpositi *b*) erant custodes, qui eum a pristino victu *c*) deducerent,) vt <sup>3</sup> se de superiore parte aedium deiecerit, atque ita interierit. Sed illuc reuertor.

## CAPVT V.

1. Postquam Corinthum peruenit Dion, et eodem perfugit <sup>1</sup> Heraclides, ab eodem expulsus Dionysio, qui praefectus fuerat equitum: omni ratione bellum comparare coeperunt. 2. Sed non multum proficiebant, quod multorum annorum tyrannis *a*) magnarum opum putabatur. Quam ob causam pauci *b*) ad societatem periculi perducebantur. 3. Sed Dion fretus non tam suis copiis, quam odio tyranni, maximo animo, duabus onerariis *c*) nauibus, quinquaginta annorum imperium, munitum quingentis longis nauibus, decem equitum, centum peditum millibus, profectus oppugnatum, (quod omnibus gentibus admirabile est visum,)

*b*) elegantiam vsumque huius verbi fuse docent Gebhard. Heusing. et Tzschucke ad h. l. et Stauer. in mai. comm. ad h. l. *Harl.*

*c*) victu h. l. pro vita. vide Frontin. Strateg. III. 15. 3. ibique Schwebel. *Harl.*

<sup>3</sup> *Se de superiore parte aedium deiecerit*] Proprie. Gron. ad Liuium XXIII. 47. Stauer. de super. MS. Dan. et Leid. e super. edd. Lamb. et aliae: praepositionem omitunt codd. Voss. 1. 2. ed. Paris. Longol. in qua tota periodus, *is vsque — interierit*

aliter est constituta. v. Bosium, Heusing. et Tzschucke ad h. l. *Harl.*

<sup>1</sup> *Heraclides*] V. Weff. ad Diod. Sic. XVI. 6. 17.

*a*) *tyrannis*] ex certa Lambini correctione: *tyrannus* MSS ta et edd. antiqq. *Harl.*

*b*) *pauci*] n. ex proscriptis. v. Plutarch. c. 22. *Harl.*

*c*) conf. Demosth. in orat. adu. Leptin. sect. 141. p. 137. sq. ed. Wolf. ibique schol. et pag. 382. sqq. ac p. 386. cl. Wolfii not. de utroque Dionysio. *Harl.*